

www.e-rara.ch

Hermanni Witsii Meletemata Leidensia

Witsius, Herman

Basileæ, M DCC XXXIX [1739]

Universitätsbibliothek Basel

Shelf Mark: UBH Aleph G VI 28:2

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-92034>

Sectio X. De Pauli Vinculis in Judaea.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

XX. Verum ipse destinationis certus, comiter quidem, ut par est, obtestationes illas admittit, sed de cætero animose respondit, *paratum se esse non solum vinciri, sed & mori Hierosolymis pro nomine Jesu.* Quo audito, fratres acquieverunt, Dei providentiæ res omnes committentes. *Hierosolymam* itaque perrexit: comitantibus eum ex Cæsarea discipulis, & adducentibus apud quem diversaretur *Mnasonem* Cyprium, antiquum discipulum. Act. **xxi: 16.** tunc, uti credibile est, ad fidem Christi vocatum quando Paulus & Barnabas Evangelium Cypri prædicabant Act. **xi: 4.** nunc autem ædes suas Hierosolymæ habentem. Non abs re est quod notaverit Lucas, ipsos apud Mnasonem hunc fuisse diversaturos. Difficile enim fuit, in tanta undique ad festivitates annuas adventantium frequentia, commodum invenire hospitium. Tunc sane, si unquam, *Φιλοξενίας* exercendæ occasio erat. Nam si non lege cautum, moribus certe valebat, ne quis incola Hierosolymitanus domum suam mercede locaret venientibus ad festa: gratis concedendam pio advenæ. Sic itaque sub Divinæ ductu Providentiæ Paulus Hierosolymam venit: magnum ipsi constantiæ ac zeli theatrum futurum.

XX. Intrepido tamen animo Hierosolymam pergit.

S E C T I O X.

De Pauli Vinculis in Judæa.

B R E V I A R I U M.

- I. Paulus Jacobo & Presbyteris Hierosolymitanis exponit Dei gratiam suo ministerio gentibus factam.
- II. Falso traductus, quod defectionem a Mose docuisset.
- III. Ad cujus calumnie refutationem a Presbyteris persuaderi se patitur ut in voti communionem veniat.
- IV. An recte sic suaserint Presbyteri, recte auscultaverit Paulus.
- V. Exculpantur illi.
- VI. Et hic.
- VII. Paulus templi profanati mendacissime accusatus male mulctatur.
- VIII. A Claudio Lysia, tribuno, sedientium manibus bis ereptus.
- IX. Pauli cum Anania Pontifice disceptatio, multis pressa difficultatibus.
- X. Fieri facile potuit ut Paulus non nosset ejus temporis Pontificem.
- XI. Vel saltem nesciverit, se Pontificis jussu esse caesum.
- XII. Dura Pauli oratio non ex animi impotentia, sed ex Spiritu Prophetico profecta fuit.
- XIII. Neque ullo pacto Apostolicis prærogativis quidquam derogat.
- XIV. Uti nec Apologia; qua culpam non fatetur, sed negat.
- XV. Senatus Judaicus compositus erat partim ex Phariseis, partim ex Sadducæis; quorum hi cæteris valde exosi.
- XVI. Quam ob rem se Phariseum esse proclamat, cui ob assertam mortuorum resurrectionem lis intendatur.
- XVII. An satis candide? Imo; sed & prudenter.
- XVIII. Dominus noctu Paulo apprensens bono animo esse jubet, & Romæ de se testaturum esse pollicetur.
- XIX. Nefanda XL Judæorum contra Paulum conspiratio.
- XX. A Pauli nepote detecta, & a Tribuno elusa.
- XXI. Paulus apud Felicem accusatus.
- XXII.

Causam suam egregie perorat. XXIII. Drusilla historia. XXIV. Apud hanc quoque Paulus de religione ac virtute animose disserit. XXV. Ab avaro Felice, nummorum spe, in vinculis biennium detentus; donec Felix successorem acciperet Portium Festum. XXVI. Quod quoto Neronis anno contigerit, aliter putat L. Cappellus. XXVII. Aliter Pearsonus. XXVIII. Paulus causæ apud Portium Festum dicta. XXIX. Casarem appellat: juste ac legitime. XXX. Interim & ab Agrippa ac Bernice magno cum animorum motu auditur.

I. Paulus Jacobo & Presbyteris Hierosolymitanis exponit Dei gratiam suo ministerio gentibus factam.

Vix pedem Hierosolymam intulerat Apostolus, quin comiter, ut par est, a fratribus, una cum comitibus suis, exceptus sit. Postridie adventus sui invisit *Jacobum*, illum ex Apostolis qui columnis Ecclesiæ cum Petro & Johanne accensus fuit Gal. 1:9. quique omnium postremus Hierosolymæ mansisse, illiusque Ecclesiæ curam singulari ratione in se suscepisse, videtur. Is, hujus rei in tempore certior factus, convocaverat omnes Ecclesiæ Hierosolymitanæ Presbyteros; ea ex Pauli ore audituros, eaque cum ipso consilia sociaturos, quæ ad commune bonum rei Christianæ quam maxime pertinerent. Paulus itaque eos Christiana pietate complexus, ordine singula exposuit, non tam quæ ipse patraverat, quam quæ ipsius ministerio Deus fecerat; cujus unius gloriæ cuncta in solidum adscribi voluit. Præcipue ea narravit, quæ in gentibus ad fidem Evangelii ac participationem bonorum fœderis gratiæ efficaciter vocandis, mirabilia ipsi acciderant. Tantum vero abest, ut vel gentibus eam salutem, vel Paulo eam Evangelii tam feliciter prædicati gratiam, inviderint fratres Hierosolymitani; ut omnes unanimi corde & ore glorificaverint Dominum, eique propter eam gratiæ suæ, tam late se extendentis, ubertatem gratias egerint gratissimas.

II. Falso traductus, quod defectionem a Mose docuisset.

II. Mansit tamen Judæis istis fratribus suæ potissimum nationis & avitorum rituum amor imis infixus medullis. Quem primo congressu aperuerunt. Vides, inquiebant Paulo, *vides frater, quot sint millia Judæorum qui crediderunt* (adeo intra xxv annos auctum illud sinapi granum est) *qui omnes magno studio totius Mosaicæ legis observanda tenentur.* Quumque illi primas in ecclesia Christiana partes, neque contemnendas prorsus sententiæ suæ rationes, habere videantur; tam prudentia quam charitas poscit, ut aliquid iis indulgeatur. Porro *de te audiverunt ex aliorum sermone*, (illorum credo Judæorum qui Paulo tot molestias in Asia creaverant) *te defectionem a Mose docere omnes qui inter gentes sunt Judæos, & dicere eos non debere circumcidere filios, neque secundum ritus ambulare.* In ea relatione, uti arbitror, aliquid veri erat, aliquid falsi. Quamvis eo potissimum tenderet Pauli prædicatio, fideles ex gentilibus Mosaicorum rituum iugo gravandos non esse; haut obscure interim indigitaverat, ne Judæos quidem amplius iis teneri: quippe umbris quas corpori jam præsentem cedere decebat, & ejusmodi ceremoniis

moniis quæ ad justificationem consequendam nullius omnino efficaciam aut utilitatis erant. Cæterum illud mera ac putida erat calumnia, quod idcirco defectionem a Mose doceret. Constante enim professus est, Mosen esse fidelem Dei famulum in tota domo ipsius, etiam in testimonium eorum quæ postea erant dicenda. Heb. 111: 5. neque se quidquam unquam dixisse extra ea quæ prophetæ ac Moses futura prædixerunt. xxv1: 22. Duntaxat verum rituum Mosaicorum scopum, & genuinam Dei in iis olim populo Israëlitico præscribendis mentem indicaverat, eamque ex Mose & ipsa ritum istorum indole, prudenter, & ubi res ferebat, demonstraverat. Quod adeo non cedit in illorum dedecus, ut unicam quæ ex iis hauriri potest utilitatem, & Dei in eorum præscriptione sapientiam, manifestam faciat.

III. At dubitare nefas non est, an omnes illi fratres Hierosolymitani eo tempore accurate & distincte illa intellexerint. Ideoque Paulo dicunt: *Quid ergo est? oportet omnino convenire multitudinem*, universam quæ in hac urbe est ecclesiæ Christianæ plebem: fieri enim non poterit ut tuus adventus clam ipsos maneat. Ne displiceat igitur tibi consilium, quod nos, quibus status Ecclesiæ optime perspectus est, admodum tempestivum, ac promodum necessarium est arbitramur. *Sunt nobis viri quatuor, qui voto se abstinerunt. His assumtis sanctificator cum eis, & adde ad eorum sumtus, ut radant capita, & norint omnes, nihil esse eorum quæ de te auditione exceperunt, sed te quoque ita incedere ut legem observes.* Difficile erit hæc recte intelligere, nisi ex Hebræorum Antiquitatibus aliquantulum clarentur. Vota quæ isthac ætate a Judæis concipiebantur non unius erant generis. Nonnumquam illi qui in itinere erant, qui in morbo cubabant, qui gravibus conficti erant afflictionibus, vota pro salute faciebant. Notabile est exemplum *Berenices*, *Josepho* memoratum de bello Jud. Lib. 11. Cap. xv. *Ἐπειδή μιν ἐν τοῖς ἱεροσολύμοις τότε, εὐχὴν ἐκτελεῖσθαι τῷ Θεῷ. Τὰς γὰρ ἡ νόσῳ καταπονομένους, ἢ τισὶν ἄλλαις ἀνάγκαις, ἐθετοῦ εὐχεσθαι πρὸς τριακοντα ἡμερῶν ἢς ἀποδώσειν μέλλοιεν θυσιάς, ὅπως τε ἀφείεσθαι, καὶ ζυρήσασθαι τὰς κόμας.* *Venerat Hierosolymam, ut vota Deo solveret. His enim qui morbo vel aliis necessitatibus implicantur mos est orare per triginta dies, antequam immolent hostias: abstinere quoque vino, & capillos radere.* Sed & vulgare erat *Naziræatus* temporarii votum; cuius ritus describuntur Num. xxv1. Utrius generis votum fuerit quatuor horum virorum, non exprimente sacra historia, tuto ignorare licet. Si tamen aliquis conjecturæ locus, inclino ad suspicandum votum *Naziræatus* fuisse; tum quia illud erat solemnius, validiusque observatæ legis Mosaicæ argumentum; tum etiam quia eo nos ducunt sequentia. Petunt enim a Paulo, ut velit *δαπανῆσαι ἐπ' αὐτοῖς, sumtus vel pro illis, vel una cum illis facere.* Hoc autem ex veteri Judæorum instituto est. Scribit enim *Maimonides* Libro *הפליאה*, *Traſtatu* נזירות, Cap.

III. Ad cuius calumnia refutationem a Presbyteris persuaderi se patitur ut in voti communionem veniat.

VIII: obtinuisse apud Judæos, ut, si quis dixisset, ידרי עלי לגלה נזיר id Græce diceretur, δωπανήσω ἐπὶ ναζαράω, ἵνα ξυρήσῃται τὴν κεφαλὴν, teneretur ille sumtus facere in victimas a Naziræo offerendas, peractis voti diebus: sive integros in se sumtus suscepisset, sive partem duntaxat, Naziræo ipso quod reliquum erat præstituro. Quæ præclare a *Petito* observata sunt *Variarum Lectionum Cap. ultimo*. Hujus nunc rei auctores Paulo sunt; ut isthac ratione ostenderet, se & voventibus favere, & voto. Paulus autem, qua erat facilitate, omnibus omnia fieri suetus, gnarusque cerimonias istas, quamvis mortuas, necdum tamen sepultas, nedum mortiferas esse, consilio paret, sanctificat se cum illis, ingreditur templum, denunciatur se tantum pecuniæ destinasse in victimarum sumtus, offerendarum expletis diebus sanctificationis, quorum, ut ex com. 27. colligitur, septem duntaxat restabant.

IV. An re-
cte sic sua-
serint Pres-
byteri: re-
cte auscul-
taverit Pau-
lus.

IV. Ambigi fortasse posset, an non omnis iste apparatus hypocrisis & scenæ quam simplicitati & sinceritati Christianæ similior sit. Nam Seniores Hierosolymitani nimio gentis amore ad non probandam indulgentiam videntur fuisse prolapsi. Videntur etiam Paulum ad simulationem inducere. Nam neque de nihilo natus erat rumor quod Judæos a cerimoniis retraheret; nec ambulabat prorsus in observatione legis. Deinde ut ponamus Jacobum cum fratribus Hierosolymitanis Pauli sententiam & doctrinam de observatione rituum non prorsus habuisse perspectam; ipse tamen Paulus optime sibi conscius erat, se constanter docuisse, non solum fideles ex gentibus nulla eorum religione teneri, sed & Judæos ipsos Christum professos a pædagogica legis servitute in libertatem esse assertos. Cur igitur persuaderi sibi patitur, ut ea nunc agat, ex quibus cognoscere possint omnes, *nihil eorum verum esse*, quæ fama de ipso prædicaverat, quum aliqua saltem vera esse videantur? An pudet ipsum Hierosolymis profiteri, quæ in Asia & Græcia docuerat? Cur non solito candore suo usus est, ac sine circuitione declaravit, omnino hanc suam esse mentem, Judæos non teneri amplius circumcidere filios suos, circumcisionem nihil in Christo valere, nihil esse, sed fidem in Christum, & observantiam mandatorum Dei, esse omnia? Quæ profecto dogmata tanti ad omnem rem Christianam momenti sunt, ut nulla dissimulatione sint obscuranda. Imo & ex eventu patere videtur, infeliciter Paulo cessisse, quod novam & insolitam personam induens, minus constanter quam pro suo more libertatem a Christo partam asseruerit. Enim vero non sine specie hæc objiciuntur: & memini locutum esse viro docto & non pœnitendæ in republica literaria existimationis, cui tanti erant istæ difficultates, ut fere de totius sacrae historiae, imo universæ religionis Christianæ divinitate dubitare se fateretur.

V. Excul-
pantur illi.

V. Cæterum si quis penitus omnia introspiciat, occurrent, quæ tam senioribus Hierosolymitanis, quam Paulo prorsus exculpando faciant. Primo

Primo quidem generatim est observandum, sincerum ac prudens hujus rei judicium ex circumstantiis pendere, quarum nonnullæ saltem uti nos hodie latent, ita omnes ipsis fuerunt perspectissimæ. Porro ingens multorum millium turba, legi Mosaicæ addictissima, & malevolorum calumniis seducta, sequiorem de Pauli ministerio suspicionem fovebat; quam evidenti ac fere palpabili argumento animis ipsorum eximi oportebat, ne crederetur Mosaicæ legis contemtor esse. Adde, quod Hierosolymæ multa habebant invitamenta ad servandas legis cerimonias; templum nimirum, totumque sacrificorum & sacrificiorum choragium, quæ quotidie ipsis ob oculos versabantur; ut major esset excusatio si tardius eas desererent. Deinde totum fere corpus Ecclesiæ Hierosolymitanæ constabat ex Judæis; ut minus periculum esset a scandalo gentium. Nam in aliis regionibus hæc discessionis causa erat, quod suo quisque mori addictus legem aliis imponere nitebatur. Porro non constat, Jacobum & seniores zelum illum immoderatum approbasse, eive favisse. Quamvis enim aperte non damnent, neque asperius de eo conquerantur, quia tamen se separant ab illorum affectu, tacite innuunt eum sibi non admodum placere. Etsi autem vitio non carebat zelus iste, curatio tamen, ut difficilis, tam subita, minus violenta, esse non potuit. Denique auctores Paulo non sunt quidquam faciendi, quod aut animi sui religioni, aut doctrinæ a se prædicatæ contrarium foret; sed solummodo, ut insigni aliquo exemplo dilueret calumnias malevolorum, quasi ipse Mosaicæ eas leges contemneret, & apostasiam a principe Prophetarum doceret. Nam uti nihil horum verum erat, ita & Pauli ipsius totiusque ecclesiæ intererat, ut isthac se suspicione exsolveret.

VI. Atque ita a senioribus ad ipsum Paulum oratio nostra delabatur. VI. Ethic. Cujus ingenuitas candidissima, & invicta constantia, tot tamque præclaris exemplis confirmata, ne hic quidem ipsum destituit. Cæterum uti columbinam simplicitatem ita & serpentinam prudentiam Christo magistro didicerat. Non omnia omni tempore ac loco æque convenientia esse norat: suam ut loquendi, ita & tacendi, esse oportunitatem: tribuendum aliquid consilio prudentum, etiam infirmitati fratrum, præsertim si numero plurimi sint: nihil quidem dissimulandum in præjudicium veritatis, sed exspectandas quandoque oportunitates, quibus ea majore cum fructu doceri possit. Ita ergo se voluntaria subjectione rudibus & minus probe edoctis insinuare studuit, ut prodesset. Nam semel admissus commode ad moderandum istum zelum transisset. Magnam ergo laudem meretur ejus humanitas, quod non modo in gratiam imperitæ plebis comiter se demittit; sed & eorum infirmitati morem gerit, quibus indigne & contra rationem suspectus fuerat. Neque ex eventu de bonitate aut malitia actionum esse judicandum prudentiores omnes sciscunt. Ita enim concludendum foret, displicuisse Deo servorum suorum *παρηγορίαν*, quam plerumque ma-

ximis afflictionibus redimere debuerunt. Atque hæc sunt quæ pro Jacobo & senioribus Hierosolymitanis, quæ pro Paulo etiam, dicenda habemus; magnam, fateor, partem ex gravissimis & sapientissimis *Calvini* commentariis desumpta.

VII. Paulus templi profanati mendacissime accusatus male mulctatur.

VII. Verum interim est, nihil Paulum sua ista humanitate atque indulgentia promovisse. Quum enim in templo illum conspexissent quidam ex pervicacibus Judæis Asiaticis, qui Hierosolymam ad festum adscenderant, magna vociferatione turbas concitaverunt: sive temere credito, sive conficto crimine, quod introducto in templum Trophimo, homine Ephesio & incircumciso, sacratissimum locum polluisset. Iterum historiæ huic ex hebræorum monumentis accendenda fax est. Templum Hierosolymitanum ab Herode ita constructum fuisse testatur *Josephus Antiq. Lib. xv: Cap. xiv: & de bello Jud. Lib. vi: Cap. vi.* ut duplici constaret quadrangulari septo amplissimo, quorum alterum intra alterius ambitum, in medio, situm erat. In secundi, sive interioris septi medio collocatum fuit הֵיכַל, sive Templum stricte sic dictum, quo continetur locus ille qui dicitur Sanctus, & Sanctum Sanctorum. Utrumque septum, tam exterius, quam interius, undique latis & amplissimis cinctum erat porticibus, ad excipiendum populum. Inter utrumque septum spatium fuit sub dio, patente cælo, vacuum & apertum. In eo spatio lorica lapidea, sive humilis quidam paries, non nisi tres cubitos altus, quo septum interius ab exteriori separabatur. Ad exterius septum, non Judæi solum qui haut usque quaque mundi secundum legem erant admittebantur, sed & ipsis ibi gentilibus qui adorandi causa Hierosolymam veniebant suus erat locus. Verum lorica illa lapidea ab ingressu interioris septi gentiles omnes discludebantur. Quin & in lorica illa paribus intervallis dispositæ fuerunt columellæ quædam, legem, ut *Josephus* loquitur, castimoniam præmonentes, aliæ Græcis, aliæ Latinis literis, in locum sanctum nefas esse alienigenis, sub pœna capitis irrumpere. Quum igitur Judæi isti Paulum cum suis quibusdam comitibus in interiori septo conspicerentur, scirentque Trophimum Ephesium nuper in ipsius comitatu fuisse; falso criminati sunt, quod hominem gentilem, contra omne jus & fas, violata templi sanctitate, in locum sacrum gentilibus interdicitum, introduxisset. Tantum autem insanis clamoribus suis furiosi Judæi effecerunt, ut plebs effera Paulum templo extractum verberibus prope ad necem mulctaverit.

VIII. A Claudio Lysia, tribuno, seditiosorum manibus bis ereptus.

VIII. Et interfecissent revera, nisi superveniente Tribuno Romano, Claudio Lysia, manibus ipsorum ereptus, & in castra ductus esset. Tribuno interim, quum Græce loquentem audivisset, interroganti, nunquid Ægyptius ille esset, qui nuper tantum barbarum dederat, & quatuor sicariorum millia deduxerat in desertum, cujus historia videri potest apud *Josephum Antiq. Lib. xx: Cap. vi.* negat Paulus, asserens se Judæum religione,

gione, civitate vero Tarfensem esse, urbis non obscuræ in Cilicia civem. Veniamque sibi petit alloquendi populum: qua impetrata, manuque silentio facto, Hebraica eos oratione compellat. Eaque totum vitæ suæ institutum, sed imprimis mirabilem sui ad Christianismum & Apostolatam vocationem, accurate exponit. Et quum in eo esset, ut hæc Christi ad se verba commemoraret: *Proficiscere, nam ego te longe ad gentes emittam*, non compescuerunt se diutius, insana vociferatione clamantes, tollendum e terra hominem istiusmodi: non enim convenire ut viveret. Clamantibus igitur Judæis, & projicientibus pallia, & pulverem jactantibus in aërem, tribunus Paulum in castra ductum flagris examinari jubet: a quo tamen supplicio, civem se Romanum esse declarans, liberatus est. Quumque vellet tribunus certo rescire cujus rei a Judæis accusaretur, solvit eum e vinculis, postera die primarios sacerdotes totumque ipsorum synedrium convenire jussit, ac deductum Paulum coram eis statuit. Act. xx i i.

IX. Paulus, postquam sibi fandi facta esset copia, intentis in confessum oculis, omni bona conscientia ad eum usque diem Deo se servivisse protestatur. Ananias vero, Pontifex Maximus, non ferens istam in reo loquendi libertatem, imperavit adstantibus ut os ejus cæderent. Quam iniquitatem Paulus gravi oratione increpuit: *Futurum est, ait, ut percutiat te Deus, paries dealbate; tu sedes, ut judices me secundum legem, & legem transgrediens jubes me cædi? Valde sermo iste adstantibus displicuit: quorum unus, itane, inquit, Pontifici illi Dei maximo conviciaris? Cui sedata mente respondit Paulus, Nesciebam, fratres, Pontificem esse maximum: scriptum enim est, Principi populi tui non maledices. In ista Pauli fermocinatione multæ occurrunt magnæque difficultates, quæ interpretum ingenia mirum in modum exercuerunt. Primum enim qua ratione nescire potuit Paulus Pontificem Maximum, quum vix ulla in universa Hebræorum Republica persona existeret pluribus & insignioribus notata characteribus; præsertim in festivitatis solemnibus? Deinde, si vel nescivisset, quid hoc ad duræ orationis suæ apologiam facit? non enim certe nescire poterat, unum ex summis iudicibus, & consequenter ex Principibus populi esse, cui haut magis fas erat maledicere quam Pontifici Maximo. Denique dira illa in Ananiam oratio argumento esse videtur, destitutum eo tempore Paulum fuisse Divini spiritus assistentia, quæ & animum & sermonem regeret. Impotentis enim animi indicium est: quam impotentiam neque spiritus prophetiæ, neque patientia Evangelica Paulo inspiraverat. Quid quod & ipse sua excusatione crimen fatetur? Fieri autem nullo modo potest; ut idem spiritus primo dicat sermonem aliquem justo acerbiorum, & mox sermonis istius retractationem. Immo ne ipsa quidem excusatio bona esse videtur. Evangelium enim nemini permittit maledicere; sive is cui maledicetur in Magistratu sit, sive privatus aliquis ex plebe. Quibus difficultatibus quid respondendum sit, ordine videamus.*

IX. Pauli cum Anania Pontifice disceptatio, multis pressa difficultatibus.

X. Fieri facile potuit ut Paulus non nosset ejus temporis Pontificem.

X. Qui credunt Paulum non potuisse nescire Pontificem Maximum, illi nescire interpretantur non agnoscere; non habere pro Pontifice. Quod alii de officio, & munere Pontificio; alii de persona Ananiæ intelligunt. Priores volunt, Paulum nullum pontificem nunc agnoscere, præter Jesum Christum: quia manifestato nunc Christo Pontifice, omne sacerdotium, maxime quod se Christo opponebat, omni jure nullum esset; adeo ut quisquis pro Pontifice gesserit sese, parietis dealbati instar habeat, nomenque tantum inane. Posteriores satius arbitrantur Pauli orationem ad personam Ananiæ restringere, quem scilicet Paulus pro Pontifice non agnoscat. Vel quia revera Pontifex tunc non esset, sed in veri Pontificis, sive Josephi, sive Ismaëlis, partes se obtrusisset; nudo illi Pontificatus nomine relicto: vel quia sacerdotium, quod eo tempore venale erat, pecunia sibi comparaverat; didicerat vero Paulus a Gamaliele, judicem qui honoris consequendi causa pecunias dederit revera neque judicem esse, neque honorandum, sed Asini habendum loco, ut est in codice *Sanhedrim*: vel quod nihil in ipso Pontifice dignum comparuerit: saltem adversus Paulum se non pro Pontifice gesserit. Quæ quidam acute a Viris doctissimis observata esse quis neget? cæterum an cum Apostoli genio atque ingenio admodum convenient, non immerito dubitatur. Fateor me quoque ab ejusmodi commentationibus haut alienum olim fuisse: uti videre est ex *Miscellaneous meorum Tom. I. Lib. I. Cap. xxii: Num. xxvii*. Sed uti dies diem docet, ita & me profecisse agnosco ex Doctissimi *Gatakeri Miscel. Sacr. Lib. I. Cap. vi*. atque eas quidem interpretationes quæ simplicissimæ sunt reliquis nunc antependas arbitror. Cur autem incredibile nobis videatur Paulum simpliciter nescivisse, quod Ananias eo tempore Pontifex fuerit? quum & diu Hierosolymis abfuisset Apostolus, ipsumque inter alios multos confidentem conspiceretur, nullo admodum notabili indicio ab aliis distinctum: nam Pontificatus insignia non nisi in templo conspiciebantur. Accedit, quod iis temporibus Pontificia dignitas nunc a Præfectis Romanis, nunc a Regibus Judæis, modo huic, modo illi delata, eisdemque paullo post pro lubitu adempta fuerit, ut intra unius anni spatium tres quandoque Pontificatum gessisse ferantur. Atque huic quidem sententiæ calculum suum adjicit, quem modo laudavi, laudatissimus *Gatakerus*.

XI. Vel saltem nesciverit, se Pontificis jussu esse casum.

XI. Si tamen id minus placeat? en aliud quod æque simplex est, & *Riveto* nostro imprimis arrisit. In *Isagoge ad Script. Cap. xxi. Num. vii*. *Mibi*, inquit, *verisimilius est, audivisse quidem Paulum vocem emissam ab aliquo, ex his qui ad judicandum sederant, neque tamen scivisse a quonam illorum vox profecta esset. A Pontifice autem profectam non putavit, quum propter ejus auctoritatem, a qua indignum erat tam precipitem offensionis significationem editum propter simulatam saltem sanctitatem, a qua tam iniqua vox non videbatur eruptura. Accedit, quod concilium hoc non fuerat coactum in loco consueto, ubi definitus*

definitus esset judicantium seu deliberantium ordo, pro cuiusque dignitate & meritis; sed prope arcem, quo accersitum fuerat a Tribuno, & ubi Paulus erat. Quod indicat illud præcedentis Capituli, jussit sacerdotes convenire; pro quo Græce ἐλθεῖν, id est venire. Audivit ergo Paulus vocem in turba, & illi a quo emissa est denunciavit paratam esse a Domino pœnam. Eodem inclinare video Doctissimos Annotatores Anglos. Clericus pariter; Videtur tunc temporis Paulus alio convertisse oculos, ita ut non animadvertisset, quis jussisset ipsum cædi. Itaque supplendum hic ex superioribus, ὅς ἐπέταξε τύπτεσθαι αὐτῶν τὸ σῆμα, qui jusserat os ejus cædi. Nihil est simplicis, nodum in scirpo alii quarunt. Maneat ergo, vere & sincere Paulum dixisse, non novisse se sacerdotem Maximum; sive profus ignoraverit Ananiam eum esse, sive nesciverit eum cujus jussu percussus erat esse Pontificem. Atque hæcenus respondit ei qui dicam impingebat violatæ dignitatis Pontificiæ.

XII. Sed quid hoc ad excusandam maledictionem? Enimvero nihil; siquidem verba Pauli eam maledictionem contineant, quæ lege & Evangelio interdicta est: quam neque in Pontificem, neque in judicem ullum, neque adeo in privatum qualemcunque fas est effari. At falluntur qui ita instituunt. Durus quidem Pauli sermo fuit: sed personæ suæ, ac rei præfenti conveniens. Optime Grotius: *utitur jure Prophetæ*. Nam I. Prophetarum est libere reprehendere, non viros tantum Principes, sed & Reges. 1 Reg. xviii: 18. 2 Reg. i: 13. Jes. i: 10, 23. Ezech. xxi: 25. II. Eorundem est indicere improbis Dei judicia. Jes. xxi: 17, 18. Jer. xxi: 18, 24, 28. Apostoli autem Prophetæ erant, & amplius. Merito itaque Paulus & hypocrisin hominis increpuit, & Dei judicia non quidem imprecatus est, sed denunciavit. *τύπτειν σε μέλλει*. Comprobavit Prophetiam eventus. Nam, observante Grotio, Ananiæ incertum mortuo, an amoto, non multo post hoc tempus suffectus est Ismaël Phabi. Non fuit ergo impotentia aut iracundia Pauli hujus sermonis origo, sed Spiritus Propheticus. Simile vid. Act. xiii: 9--11. Nihil hic contra institutum Evangelii, sed omnia ex auctoritate Apostolica. 2 Cor. x: 2--6. Nihil contra exemplum Christi, sed secundum illud Matth. xxiii: 27. Jussit quidem suis Christus, ut in sinistram maxillam percussi dextram quoque cederent. Mat. v: 39. sed non idcirco tale ab iis exegit silentium, quo improborum hominum audacia alatur: sed tantum voluit frenare animos ne illatam injuriam ferant impatientius. Parati potius alteram ferre, quam ulcisci priorem.

XIII. Unde consequitur, nullum hinc argumentum peti posse adversus Apostolorum in docendo ἀναμαρτησίαν. Si enim illatio illa procedat, verum erit, Paulum in tam illustri Apologia peccasse adversus prima Christianismi elementa, turpi iracundia abreptum ea fecisse quæ Evangelii ministro, quæ Apostolo, quæ Christiano quovis indigna sunt, excusatione

XII. Dura Pauli oratio non ex animi impotentia, sed ex Spiritu Prophetico profecta fuit.

XIII. Neque ullo pacto Apostolicis prærogativis quidquam derogatum.

usum esse absurda atque inepta, si non & subdola: nam etiam si Pontificem esse ignoreret; magistratum tamen esse ipse fatebatur: male, & contra Evangelium interpretatum esse Mosis mentem, quasi ita interdixisset magistratui maledicere, ut permiserit maledicere privato: consequenter passum esse ut κακοποιόν: denique prodidisse hinc omnibus causam Evangelii. Quorsum hæc tendunt? Hocine conciliari potest cum promissione Christi? Math. x: 19. Luc. xii: 11. aut protestatione Pauli 1 Cor. iv: 12, 13. *convitiis affecti, bene precamur: si qui nos persequantur, sufferimus; infamati precamur.* Tantane impotentia, atque imprudentia, consistere potest cum spiritu *δυνάμεως, καὶ ἀγάπης καὶ σωφρονισμῆς*; quem sibi vindicat 1 Tim. i: 7. Usque adeone Martyribus, & confessoribus e vulgo inferior nunc Paulus est? Vide sodes quo non transversos agat homines improbæ disputationis æstus.

XIV. Uti nec Apologia; qua culpam non fatetur, sed negat.

XIV. At si nihil mali egit Paulus, quorsum ergo apologia? Responsio facilis est. Non ea excusatione utitur Paulus, qua crimen fatetur, uti præterit cavillator; sed qua se exculpat. Protestatur enim se bene gnarum & memorem Divinæ legis, in hæc verba non prorupisse contra legem; neque convitium dixisse lege vetitum. Quippe cujus sermo non sit iracunda imprecatio, sed justa increpatio, cum pœnæ denunciatione conjuncta, neque profectus ex animo malo, sed ex meliori & superiori principio. Atque ita apologia ista sapiens, prudens, sancta, neque indigna Spiritu Sancto est. Eaque observatione omnes cavillatoris sophisticationes cadunt. Hanc me defensionem Paulo adversus iniquos criminatores debuisse credidi.

XV. Senatus Judæus compositus erat partim ex Phariseis, partim ex Sadducæis; quorum hi cæteris valde exosi.

XV. Qui non animum modo probe sedatum, sed & insignem prudentiam in orationis suæ persecutione ostendit. Compositus erat senatus ex Phariseis & Sadducæis; quorum hi & Spirituum, tam Angelorum quam mentium humanarum, separatam a corpore existentiam, & corporum resurrectionem negant; illi vero credunt & profitentur utrumque. Cui Lucæ observationi adstipulatur *Josephus Antiq. Lib. xvii: Cap. 11. Pharisei, inquit, animas credunt esse immortales, & sub terris earum judicia fieri: tum præmia cuique contingere ex virtutis aut malitiæ merito: & has perpetuis damnari carceribus, illis facilem esse ad vitam reditum. At Sadducæorum opinio cum corpore extinguit simul & animas.* Quæ sententia quum omnem profus religionem evertat, & spem atque expectationem Sanctissimorum Patriarcharum plane destruat; mirum videri posset, qua ratione tam profani homines, a veri nominis Israëlitis, non modo in eorundem sacrorum communione tolerati, sed & ad Magistratum admissi, imo in supremum populi senatum lecti fuerint. Equidem ante natum Zadocum, qui sectæ nomen fecit, fuerunt & alii in gente Judaica, quibus animorum immortalitatem & mortuorum resurrectionem inficiari collubitum est. Quod a Malachia

vate

vate iis exprobratur Cap. 111: 14. Narrant autem in *Talmude Babylonico*, Titulo *Berachot*, adversus hos homines formatum esse decretum in magno illo senatu cui Ezras præfuit. Nimirum stante Templo primo ad coronidem orationum dicere solebant, *Benedictus Dominus Deus Israël in seculum*. Quum vero irrumperent Hæretici; instituit Ezras & Confessus ejus ut diceretur, *מן העולם ועד העולם a seculo & in seculum*. Ad innuendum, duplex esse seculum, scilicet hoc & futurum: & ad extirpandum e corde opinionem eorum, qui mortuorum resurrectionem negant. Quæ si vera sunt, hæresin Sadducæorum, ante natos Sadducæos jam in concilio suo damnaverit Ezras. Seriorum temporum historiæ, quotiescunque de origine Sadducæismi agunt, toties fere exortas tunc hæreses esse conqueruntur, & Sadducæos infami stigmate *מינים* id est *hæreticorum* notant. Passim videas Zadocum, & Baithosum socium ejus, *ראשי מינים* capita *hæreticorum* dici. Ab illo tempore, scribit *Maimonides in Pirke Abbot*, *יצאו אלו מינים הכתות הארורות של מינים* *egressæ sunt sectæ illæ maledictæ Mineorum sive Hæreticorum*. De quibus quid senserint, scitum Talmudicum docet in Titulo *Ros Hasschana*; *Epicuræi* (hoc quoque elogio, ob sententiarum convenientiam, Sadducæos notant) & *socii ipsorum descendunt in infernum, & puniuntur ibi in generationes generationum*. Adversus eosdem dirum illud carmen intonari solet: *Nomen improborum putrescat*. Solemnes etiam preces in Synedrio Jansenfi, cui Gamaliel Pauli nostri magister præfuit, contra eosdem conceptæ sunt. Quam orationis formulam vocant, *Imprecationem Mineorum, Sadducæorum, & Epicuræorum*: tamen nonnulli Christianos eo convitio designatos esse contendunt. At repugnat *R. Judas Levita in Libro Cozyi, part. 111: §. 65*. *הצדוקים והביתוסים אינם כי אם מינים אפיקורוסים מכחשים העולם הבא והם המינים שאנו מתפללין על זדה בתפלתנו: Sadducæi & Baithosæi non sunt nisi hæretici Epicuræi, negantes seculum futurum, & sunt illi ipsi hæretici contra quos idcirco in prece nostra oramus*. Certum quoque est, quamvis omnibus Israëlitis partem esse dicerent in futuro seculo, communi tamen Doctorum decreto eos Israëlitarum eximi, qui mortuos in vitam revocandos esse negant. Ex quibus omnibus apparet, quantum exosa cæteris Israëlitis Sadducæorum secta fuerit. Non tamen eo usque valuit Pharisæorum auctoritas, ut magistratu eos excludere potuerint; quod & ipsi opibus pollerent, & magnatum multos haberent partibus suis faventes, *Josepho teste Antiq. Lib. 1111: Cap. xv111*. Attamen si magistratum ipsos suscipere contingeret, ut plurimum Pharisæorum decretis subscribere cogebantur: ni facerent, non ferendi a plebejorum multitudine. *Ibid. Lib. xv111: Cap. 11*.

XVI. Quæ quum non ignoraret Paulus, oppido prudenter elata in confesso voce se Pharisæum & Pharisæi filium esse dixit, qui nunc de sperata mortuorum resurrectione in iudicium vocetur. Nam in ea prædicationis ipsius

XVI.
Quam ob
rem se
Pharisæum

esse proclamat cui ob assertam mortuorum resurrectionem lis intentatur.

XVII. An satis candide? Imo; sed & Fruenter.

ipsum summa consistebat, Act. xvi 1: 18. Quæ si nulla esset, omnem prædicationem suam omnemque Christianorum fidem, vanam esse, ne ipse quidem infiteretur. 1 Cor. xv: 13, 14.

XVII. Verum profecto est in isthac agendi ratione qua Paulus utitur stratagemata aliquod latere. Neque enim causa ipsius in sola mortuorum resurrectione vertebatur. Alia erant quæ præcipuam ipsi conflagabant invidiam: nimirum quod Jesum, ab ipsis crucifixum, Messiam esse contendere, quod ceremoniis non admodum faveret, quod gentes ad communionem gratiæ admitteret. Nihil tamen in hoc stratagemate est, quod Apostolum Christi dedecet. Nam præterquam quod vera sint quæ dicit omnia, uti modo est ostensum, notandum est, sic exorsum fuisse Paulum, ut qui ingenue & sincere totam causam exponere cuperet, nec astute refugisse puram & integram confessionem, qualis a servis Christi edenda esset. Sed quid ageret? Obstructus erat aditus, non dabatur audientia, in ipso orationis exordio importunis alapis turbabatur. Sibi ipsi quidem optime conscius erat, nec difficile fuisset bonam causam æquis iudicibus approbare. Sed experiebatur eos qui pro iudicibus se gererebant cæco odio præcipites ferri. Quum igitur sciret intestinis dissidiis laborare eos qui in se conspiraverant, extremo remedio usus est; ut scilicet hostes ipsos inter se committeret. Quod & ex animi sententia cessit. Tantum enim ista Pauli oratio valuit, ut scissis in partes patribus, Pharisei quidam doctores surrexerint, ac depugnauerint, nihil se mali in homine isthac invenire: si autem Spiritus aliquis, per influxum Propheticum, aut Angelus, Divinæ voluntatis interpres, locutus ei fuerit; committendum non esse ut Deo repugnare videantur. Contradicientibus autem aliis, magna in senatu orta seditio est, mutuisque jurgiis ita excanduerunt togatorum seniorum animi, uti periculum esset, ne Paulus ab illis discerperetur. Quod veritus Tribunus, iussit militum manum descendere, eumque e medio ipsorum raptum in castra deducere.

XVIII. Dominus noctu Paulo apprensus bono animo esse jubet, & Romæ de se testaturum esse pollicetur.

XVIII. Dominus interim afflictis servi sui non obliviscitur: sed sequente nocte, ubi animo in varia distracto cogitationes multiplicabantur, ubi ipsa fortasse terrebant insomnia, vel ardentibus precibus sanctisque meditationibus vigiliæ tædium fallebat, superveniens Jesus, bono animo esse iussit; non enim periturum ista hostium immanitate, sed *uti constanter de ipso attestatus erat Hierosolymis, ita oportere ut & Romæ testaretur.* Magna sine dubio res Paulo erat, tam illustri documento iterum experiri, adeo se curæ ac cordi esse Domino suo, cui unice placere nitebatur; & in quo uno omnem suam collocaverat fiduciam. Magna res erat, quod intelligeret, & actiones hæcenus suas, & agendi quem servaverat modum, adeo probari supremo suo iudici, ut & similia alibi ab ipso fieri vellet, & quidem Romæ, amplissimo totius orbis terrarum theatro. Magna denique res erat,

erat, quod ad tam strenua generosæ militiæ exercitia se adservatum, sustentatum, roboratum iri, ex ipso Imperatoris sui ore certior redderetur, securus non defuturam eam gloriæ coronam, quæ tot tantisque certaminibus respondeat. Si solius naturæ ratiocinationibus, ex eo quod præsens est cuncta metiri solitis, locus detur; frigida & inanis consolatio ista censeriqueat. Satius enim esse videtur semel perire, ac celeri morte defungi, quam longo temporis tractu in vinculis tabescere. Non enim liberationem ei promittit Dominus, ac ne lætum quidem in hac vita exitum. Tantum molestias, quibus plus satis urgetur, in diuturniores moras extrahit. Verum ita est ut dixi strenua in conspectu Imperatoris, incitantis, laudantis, victoriam ac coronam pollicentis, pugna majorem generoso militi voluptatem adfert, quam opimum, sed deses, otium.

XIX. Dum Dominus ita pro servo suo vigilat in bonum, hostes, somni impatientes, vigilant in malum: quod orto die inter se communicant. Prorsus ut illi quibus vae intentatur a Domino Mich. II: I. *Væ cogitantibus iniquitatem, & dantibus operam malo in cubilibus suis; quod illucescente mane faciunt, quum est in potestate manus ipsorum.* Nimirum quidam ex Judæis facta coitione devoverunt se, neque esuros, neque bibituros donec interemissent Paulum. Non modo conspirationem hic habemus in tantum scelus, quantum est innocui, quid dico, innocui? imo & sanctissimi hominis parricidium; sed & conspirationem, juramento sancitam, ne quis a proposito desistat: cui & anathema ac diras addunt, omnia sibi mala sponte imprecantes, nisi quod animo conceperunt nefas effectum dent. In omni quidem jure jurando tacita subest execratio, si quis pejeret: sed quo magis se obstringerent hi scelerati, anathematis formulam conceperunt, ac capita sua diris devoverunt, quæ insolitum incuterent horrorem. Incredibile prorsus amoris in gentem suam exemplum Paulus edidit, quum in hæc verba scriberet. Rom. IX: 1, 2, 3, 4. *Veritatem dico per Christum, non mentior, attestante mihi simul conscientia mea per Spiritum Sanctum: magnam mihi tristitiam esse, & sine intermissione cruciatum cordi meo: optarim ego ipse Anathema esse a Christo, pro fratribus meis, cognatis meis secundum carnem; qui sunt Israëlita.* At juxta fere incredibile est exemplum odii, quo iidem illi fratres, & cognati Pauli secundum carnem, illi Israëlita, tantopere ab ipso dilecti, in ipsum flagrant; ut non in vitam modo ipsius conspirent, sed & omni cibo potuque sibi interdican, cum diris semet ipsos devoventes, donec mala eum morte, & ipsorum quidem manibus inferenda, periisse cernerent. Tantum religio potuit suadere, si Paulum spectes, bonorum; si hostes ipsius, malorum. Et ne paucos fuisse suspiceris, plures quam quadraginta viri in hac conjuratione fuere: qui, consilio cum primariis Sacerdotibus ac Senioribus communicato, auctores iis fuerunt, ut a Tribuno Paulum ad confessum deduci peterent, veluti causam ipsius exquisitus

XIX. Ne-
fanda XL.
Judæorum
contra
Paulum
conspira-
tio.

quisitius percognituri: se interim paratos fore ad ipsum interimendum. Cui scelestæ ac nefandæ conspirationi dum subscribunt Sacerdotes, horribili documento produnt, se nec ullo Dei timore tangi, nec ulla humanitate esse præditos. Per eos certe non stetit, quo minus & sibi ipsis, & toti populo extremam accersiverint perniciem.

XX. A
Pauli ne-
pote dere-
cta, & a
Tribuno
elusa.

XX. Sed aliter Divinæ visum Providentiæ est; cuncta ita moderanti ut consilium illud nefarium innotuerit filio sororis Pauli, & per eum ipsi Paulo. Adeo nullum est consilium, nulla prudentia contra Jehovam, vafrii populi sui hostibus non sine irrisione è cælo dicentem, *Inite consilium, & dissipabitur; proferte verbum, & non stabit.* *Jes. vii 11: 10.* Quis credidisset retegendas esse per puerum insidias, quas tanta se vafritie excogitasse, & quarum se solos conscios esse, opinabantur conjurationis socii? Paulus quidem, vitæ non ita cupidus quin lubenter ad mortem properaret, si sic visum fuisset Domino; attamen ea se lege Christo servire gnarus, ut non minus illi vivat quam moriatur, patefactum sibi periculum non negligit, sed quæ clam Judæi moliebantur per nepotem suum Tribuno nunciari curat. Qui comiter exceptum adolescentem promte ac studiose audivit. Neque hoc sine Deo: qui solet mollire corda ferrea, feroces spiritus domare, & ad omnem humanitatem formare, quibus uti decrevit ad suorum defensionem. Tribunus igitur de veritate eorum quæ sibi ab adolescente nunciabantur persuasus, tertia hora noctis Paulum, militum satellitio septum, una cum literis præcipua causæ capita continentibus, ad *Felicem* Provinciæ præsidem misit. Felix iste, cujus prima hic est mentio, servili genere ortus, Claudii imperatoris, & matris ejus Antoniæ, libertus erat, & ab hac Antonii, ab illo Claudii prænomen acceperat. Frater erat *Pallantis*, quem apud patronum Claudium *flagrantissima gratia* tum fuisse, a *Tacito* notatum est *Annal. xi.* Fuit autem undecimus Judææ Procurator, qui cuncta malefacta impune sibi fore ratus, tanta fratris gratia ac potentia subnixo, *per omnem sevitiam ac libidinem jus regium servili ingenio in Judæa provincia exercuit*, ut & hæc *Taciti* verba mihi sumam ex *Histor. v.* Ad hunc *Felicem* Cæsaream deductus Paulus, ab eo jussus est in Herodis prætorio custodiri, audiendus quum adfuerint accusatores. *Act. xxiii.*

XXI. Pau-
lus apud
Felicem
accusatus.

XXI. Qui non diu se desiderari passi sunt. Etenim quinque post diebus Hierosolyma descenderunt Cæsaream, Ananias Pontifex Maximus, suæ dignitatis prodigus, cum turba togatorum patrum, & Tertullo quodam oratore; ut auctoritati eloquentiam adderent. Ad judicem admissi, & citato Paulo, Tertullus accusationem orsus, ex artis suæ præscripto, Præsidis favorem ante omnia captat, profusis laudibus, & indigna adulatione. *Multa nos pace potiri per te, & ea quæ recte ac feliciter in hac gente providentia tua facta sunt, prorsus & ubique agnoscimus, præstantissime Felix, cum omni gratiarum actione.* Quod exordium uti paucula trahebat ex vero, ita putidus plerumque

plerumque mendaciis fœdum erat. Quamvis enim latrones aliquos pacem publicam infestantes coërcuisset Felix, perquam tamen avare, crudeliter ac libidinosè in tota provinciæ suæ administratione se gesserat. Indolem porro ipsius manifestam fecit indigna nuper ac tragica cædes Jonathæ summi Pontificis, vel saltem alicujus *ἐκ τῶν ἀρχιερέων*, quem subornatis sicariis crudeliter interemit: non aliam ob causam, quam quod se indomitæ ipsius tyrannidi libera oratione opposuisset. *Cujus facinoris*, sic pergit *Josephus Antiq. Lib. XX. Cap. VI. quia nemo ultor extitit, invitati hac licentia sicarii, per singula festa ventitantes, & tela celantes, pari modo immixti turbis, alios confodiebant propter privatas inimicitias, alios conducti pecunia, idque non modo in reliquis urbis partibus, sed in ipso etiam Templo. Nam & ibi interdum ausi sunt cædes patrare; ac si nihil hoc modo pietatem læderent. Unde fas est credere, Deum tanta impietate offensum, aversatum esse Hierosolyma: temploque, ut non amplius puro domicilio, induxisse Romanos, flammis lustralibus id purificaturos.* Hæc scilicet erat præclara illa tranquillitas, qua Felicis providentia potiebantur. At perinde Tertullo erat quid diceret, modo faventem sibi, contra Paulum, judicem efficeret; quem & brevitatis pollicitatione docilem reddere conatur. Mox in Paulum sine modo ac mensura detonat, ut *hominem pestiferum, qui omnibus per orbem terrarum Judæis seditionem moveat, quique princeps sit hærezis Nazæorum* (sic enim in Judæa dicebantur Christiani, a Domino ac Magistro suo, Jesu Nazareno) *qui templum etiam tentaverit profanare: eamque ob rem prehensus, & secundum Judæorum legem judicandus, violentia Tribuni Lysie manibus ipsorum ereptus, & ad Felicem abductus sit.* Ubi & ipsi nunc, accusatores quidem, sed non nisi justii, compareant, rogantes, ut *inquisitione habita ipse de re tota cognoscat.* Æqua petitio; sed ut iniquum auferrent. Sperabant enim Felicem talibus ampullis persuasum iri ut reum, ipsis a Tribuno extortum, ipsorum iterum libidini subjeceret.

XXII. Paulus quamvis tam immanes calumnias non sine justa indignatione audiret, nihil tamen præcipitanter agendum ratus, signum expectavit quo sibi fandi copia a judice daretur. Innuente itaque Præsidente, eo se alacriori animo defensionem sui suscipere præfatur, quod ei loquatur qui rerum Judaicarum ignarus esse non poterat, neque genium gentis non novisse; quippe cui a multis jam annis (quos *Usserius* decem putat, *Pearsonus* quinque cum dimidio, alii aliter) præfuerit. Porro seditionis crimen a se amolitur: quum non nisi duodecim dies sint quod Hierosolymam accesserit, non malo aliquo consilio, sed pietatis testandæ gratia, adoraturus in templo, ubi nemo ipsum comperit aut disputantem cum aliquo, aut coitionem turbæ facientem, uti neque in urbe, neque in Synagogis. Quumque nihil eorum quæ objecerant probare possent; merito pro falsis habenda esse contendit. Quod vero de *hæresi Nazæorum* criminati erant, sine dissimulatione ulla, non fatetur solum, sed & gloriatur, se *secundum viam illam, quam*

XXII.
Causam
suam egre-
gie pero-
rat.

heresim isti vocabant, patrum Judæorum Deum, Deum scilicet Abrahami, Isaaci & Jacobi, colere, omnibus credentem quæ in Lege & Prophetis scripta sunt, adeo ut nihil ab Israëliticæ Ecclesiæ consensu diversum habeat. Quæcum communem ex scripturis spem conceperit, fore resurrectionem mortuorum, tum justorum, tum injustorum. Eam vero spem tantam in animo suo vim habuisse testatur, ut propterea exercuerit se ad inoffensam semper conscientiam coram Deo & hominibus servandam. Criminationem denique de Templi religione violata, ex eo refellit, quod post multorum absentiam annorum eleemosynas ad pauperum Hierosolymitanorum solatium apportans venerit; tantum abest ut nocere, ut etiam prodesse illis voluerit. Addit, tantum abfuisse, ut quidquam in Dei, Legis, aut Templi contemtum fecerit, ut etiam victimas obtulerit, & in legitimi voti communionem se sanctificaverit, idque agens in Templo ab iis deprehensus, & tam insana ferocia pessime habitus sit. Quasi diceret: si beneficia in populum conferre est pestilentem esse, si juxta legem purificari, oblationes offerre, & tranquille in templo agere, est templum profanare, aut seditionis auctorem esse; jam plane vera esse fateor quæ ab illis mihi sunt impacta. Si vero illi templum profanant, qui ejusmodi pietatis officia inturbant; sane Judæi revera ii sunt, quem me credi postulant. Quia vero Judæi quidam ex Asia totius incendii hujus scabellum fuerant, hos abesse queritur; causæ nimirum suæ diffusos, & convictos flagitii. Tandem quasi collecta fiducia, præsentis adversarios provocat, ut libere proferant, si quid probare se posse sperent quod inique ab ipso in eorum confesso actum sit. Quum constet, non alia de causâ tantum se molestiæ subire, nisi quod resurrectionem mortuorum se sperare aperte professus fuerit. Quibus utrinque auditis, Felix ampliandum censuit, & exquisitiorem causæ cognitionem ad adventum Lyfiæ Tribuni distulit. Paulum vero laxiori & liberiori custodia servari jussit.

XXIII.
Drusillæ
historia.

XXIII, Interjectis aliquot diebus Paulum ad se & uxorem suam *Drusillam*, ejus audiendi cupidam, accersiri jussit. *Felicem trium Reginarum maritum* fuisse testatur *Suetonius, Claudii Cap. xxviii*. Quod nonnulli ad stuprum, alii, & rectius, ad matrimonium referunt; & per Reginas indigitari monent scæminas regio sanguine prognatas, Regum filias aut neptes. Istarum una prorsus ignoratur. Duas autem *Drusillas* habuit: quarum prior fuit *Drusilla*, Antonii & Cleopatræ neptis, Cleopatræ junioris, cognomento *Selenæ*, & *Jubæ*, Mauritaniæ Regis, filia. De hac *Tacitus Histor. v. Antonius Felix Drusillam Cleopatræ & Antonii neptem in matrimonium accepit: ut ejusdem Antonii Felix progener, Claudius nepos esset.* Altera filia fuit *Herodis illius Agrippæ*, cujus tragicam mortem habemus *Act. xii*. Soror junioris *Agrippæ*, de quo mox. Cujus *Drusillæ* matrimonia exponit *Josephus Antiq. Lib. xx. Cap. v.* *Has donationes quum a Casare accepisset Agrippa, collocavit Azizo Emessenorum Regi, περιτέμνεσθαι θελήσαντι circumcisionem*

cumcisionem suscipere volenti, sororem Drusillam. Epiphanes enim Antiochi Regis filius recusavit ejus nuptias, quod mutata sententia Judæorum religionem amplecti nollet, ut erat pollicitus puella parentibus. Drusilla autem non multo post dimissa est ab Azizo ex causa hujusmodi: Felix quum esset Judææ procurator, visa hac fæminarum omnium pulcherrima, amore ejus captus, Simonem amicum suum, Judæum genere Cyprium, pro mago se gerentem, ad eam misit, qui mulierem sollicitaret ut relicto priore marito ipsi nuberet, Beatam fore pollicens si non fastidiret hominem. Illa male consultata volens evadere molestationes sororis Bernices, invidentis sibi formæ præcellentiam, consensit calcata religione patria Felici nubere.

XXIV. Hæc est illa nostræ nunc considerationis Drusilla; quæ quamvis profano se coinquinasset conjugio, conjicere tamen ex hoc loco licet, non profus ex animo ipsius deletum fuisse quem ab infantia imbiberat religionis sensum. Lucas enim Drusillam nominans, fati innuit in illius gratiam vocatum fuisse Paulum, quem Felix fortasse colloquio cæteroque suo dignatus non fuisset. Venit itaque Paulus, ac prædicavit fidem quæ in Christum est. Quum ad tribunal reus staret, objecta sibi crimina diluenda habuit; de religione Christiana ut prolixam institueret dissertationem, neque temporis illius, neque loci erat. Nunc vero ubi apertam sibi dicendi januam cernit, neque Præsidis offensionem formidat, nec discrimine ullo terretur, quo minus omnem Evangelii veritatem intrepide exponat. Itaque videmus hic tam infractæ constantiæ quam solertis prudentiæ eximium in Paulo specimen: nec unquam Evangelii lucem ab eo fuisse consulto suppressam, sed judicio habitum fuisse temporis delectum. Ita porro de fidei Christianæ articulis disputavit, ut eos omnes ad virtutis studium comparatos esse doceret: nominatim de *justitia & continentia* disseruit, quod apud homines, quales Felix & Drusilla erant, contrariis vitiis immerfi, perquam judicabat esse necessarium, mentionem etiam *futuri judicii* injicit, ut securas mentes Divinæ severitatis metu percellat. In omnibus vero eam ostendit dicendi libertatem, eam docendi auctoritatem, eam persuadendi vim, ut tremefactus Felix ad id tempus abire ipsum jufferit, oportuniore occasione iterum audiendum. Mirum enim vero spectaculum! Ex vinculis Paulus differit de judicio Dei. Is vero a cujus arbitrio vita & mors ejus pendebat, totus exhorrescit; nec aliud invenit solatium, quam si eum a conspectu suo submoveat.

XXV. Post illa Felix Paulum crebrius ad colloquia accersivit: non ut boni aliquid ex ipso disceret; sed nummos, si pote, eliceret. Quamvis enim de innocentia Pauli animo suo persuasissimus esset, homo tamen avarus & corruptelis deditus gratis infontem absolvere noluit. Non nesciebat sane, parum a captivo suo expectandum esse, homine egeno, & destituto; nec modica præda contentus esse potuit inexplebilis gurgis. Sed audiverat de collectis a Paulo Hierosolymam delatis, credebatque non defuturos ei amicos,

XXIV. Apud hanc quoque Paulus de religione ac virtute animose differit.

XXV. Ab avaro Felice, numerorum spe, in vinculis bienium detentus; donec Felix

successorem acciperet Portium Festum.

amicos, ad eum redimendum sumtus libenter facturos. Verum quum ab eo nundinationis genere Paulus abhorreret, & fratribus parceret, factum est ut integrum biennium in captivitate manserit, donec Felix successorem acciperet *Portium Festum*. Cui Paulum judicandum reliquit, ut Judæis gratificaretur. Sed frustra fuit. Vix enim a Procuratore fuerat dimotus, quin Primores Judæorum Cæsaream incolentium Romam ad eum accusandum profecti sint; dedissetque omnino pœnas injuriarum quibus Judæos affecerat, nisi Nero eum donasset *Pallantis fratris precibus, qui tum in pretio erat apud Principem*. referente *Josepho Antiq. Lib. xx. Cap. vii.*

XXVI. Quod quoto Neronis anno contigerit, aliter putat L. Cappel-
lus.

XXVI. Quo Neronis anno ista contigerint, nulli Veterum tradiderunt; quia tamen ea res ad Pauli historiam suis temporibus rite dimetiendam non parum facit, recentiores Chronologi conjectando annum illum assequi nituntur; singuli illud imprimis accurate, nequid hic inveniatur quod hypothesibus suis obsit. *Ludovicus Cappellus* conjectat, Festum Felici successorem missum esse sub finem anni secundi Neronis; hac inductus ratione, quod Pallantis precibus, multum eo tempore apud Principem valentis, supplicio ereptus sit. Jam vero ex Tacito certum est, Pallantem, Agrippinæ Neronis matri charissimum, a Nerone primo imperii sui anno cura fuisse demotum, eodemque anno Majestatis fuisse postulatum, sed absolutum, quod falsa esset illa criminatio. Nunquam postilla in Neronis gratiam rediisse videtur. Saltem ea non potuit esse diuturna. Nam anno quinto Nero matrem suam interfecit: octavo Pallantem veneno sustulit. Sublata matre Neronis, cujus auctoritate Pallas aliquid potuit, gratia omni plane eum excidisse existimandum est: Nerone jam pridem opibus ejus invidente atque inhiante, omnibusque ejus superbia offensis. Unde colligit Cappellus, ab omni verisimilitudine procul abesse eorum sententiam, qui anno demum quinto Neronis, post interfectam matrem, Festum Felici successisse volunt: quum jam antea imminuta esset Pallantis apud Neronem auctoritas.

XXVII. Aliter Pearsonus.

XXVII. Sed longe aliter rationes istas putat *Pearsonus*, qui ad sextum Neronis refert: quoniam Nero non nisi diu post initium imperii sui Pallantem in pretio habere cœpit. Quod ita conficit: Nam ipso statim initio imperii Neronis tedium sui moverat Pallas. *Tacitus Annal. xlii. Cap. ii.* Secundo imperii anno ineunte a cura rerum demotus est. *ib. Cap. xiv.* Tertio ineunte læsæ majestatis reus fit, & quum absolutus esset, innocentia ejus grata non erat. Quarto imperii anno Nero Poppææ amore capitur, Agrippina contemnitur, tanquam ad libita Pallantis provoluta. Quinto Agrippina ipsa occiditur: & sic odii Pallantis apud Neronem, postquam est potentia exutus, unica causa sublata est. Post Agrippinæ cædem nulla Pallantis apud Neronem offensio memoratur. Nono tandem imperii anno veneno tollitur, nullius criminis reus, nullius novæ apud Neronem offensio:

fionis: sed ex arbitrio Trigellini, & tantummodo quod immensam pecuniam longa senectâ derineret. Tacitus Annal. Lib. XIV. Cap. LXV. Quid ni igitur, sic infert Reverendissimus Præful, sexto Neronis anno exeunte, tanta Pallas apud eum gratia floreret, ut fratrem suum, quem Nero ipse Procuratorem fecerat, a paucis Judæis accusatum, liberaret? Eodem fere Spanhemii rationes recidunt; a quibus me non abhorreere pridem professus sum.

XXVIII. Portius Festus, Felicis Successor, ut pedem in Provinciam intulit, Cæsarea Hierosolymam ascendit; ubi mox coram eo apparuerunt Pontifex Maximus & primarii ex Judæis, accusationi in Paulum coeptæ insistentes, atque hanc, non tam justitiam adversus eum, quam gratiam sibi fieri obsecrantes, ut Paulum Hierosolymam arcessi juberet: eo animo ut insidiis factis in via ipsum interimerent; clandestina sicariorum usuri opera, quo defugere auctoritatem possent. Respondit autem Festus, Paulum Cæsareæ bene asservari, ibi non minus quam Hierosolymis accusari & a se judicari posse, se brevi eo esse profecturum, & quibus ex Judæorum proceribus commodum erat, licere ut una secum descendant, accusationes contra eum hominem, si quas habeant, intentaturi. Fortassis a Felice de infesto Judæorum in Paulum animo certior jam factus, dolum aliquem petitioni isti subesse suspicabatur; cautius itaque in negotio hoc procedendum ratus. Certe post dies non plures octo aut decem (variant enim Græca exemplaria) Cæsaream profectus, postero die in tribunali sedens (nam quæ de plano, ob rei momentum, fieri non poterant, pro tribunali agebantur) Paulum ad se duci jussit. Nec defuerunt accusatores ex Hierosolymis, multis ac gravibus criminationibus Paulum prementes; sed ad quas probandas idoneis destituebantur argumentis. Paulus autem innocentiae sibi suæ conscius, quidquam a se vel in Judæorum legem, vel in Templum, vel in Cæsaris auctoritatem, quæ tria accusationis capita fuerant, peccatum esse, strenue negabat, ac futilitatem accusatorum valide arguebat. At Festus gratiam a Judæis inire cupiens, nec quicquam tamen contra Romani Juris severitatem ausus, rogavit Paulum, num & ipse cuperet Hierosolymæ a popularibus suis judicari? Quod prudenter sane multasque ob causas Paulus abnuvit: & judices illos, & urbem, & iter ipsum reformidans. Protestatus se ad Cæsaris tribunal stare; ita enim, & recte quidem, vocat illud quod Procurator habebat nomine & mandato Cæsaris. Ibi se oportere judicari, quoniam Præsidis Romani erat, cognoscere de cive Romano. Præsertim, quum Judæos nulla affecisset injuria. Quod tam erat in liquido, ut latere Præsidi non posset. Addit, non deprecari se pœnam, si culpa teneatur; imo ne mortem quidem, si eam meruerit. Si verò omnis criminis purus sit, uti se esse protestabatur, contra jus & fas esse, ut juratis hostibus suis donaretur. Denique, se appellare Cæsarem.

XXVIII.
Paulus
caussa
apud Por-
tium Fe-
stum dicta.

XXIX. Cæsarem appellat: iuste ac legitime.

XXIX. Licuit id ipsi, ut *civi Romano*, in tali casu. Nam (ut consulte Grotius) ante sententiam appellari potest, si quæstionem in civili negotio habendam iudex interlocutus sit: vel in criminali contra leges faciat. Erat autem contra leges Romanas civem Romanum Provincialibus hominibus iudicandum tradere, id nolentem. Unde *Plinius*, in epistola de Christianis: *Erant & alii similis amentia, quos, quia cives Romani erant, annotavi in Urbem remittendos.* Licuit etiam, ut *Christiano*. Non enim Deus, qui ad suum potissimum tribunal respicere Christianos jubet, iisdem humani ac civilis iudicii subsidio uti prohibet: quo minus, ubi res poscit, a legibus atque ordine Politico opem petant. Neque exemplo hoc suo evertere censendus est doctrinam quam Corinthiis tradidit Epist. I. Cap. VI: I. Non enim absolute in iis damnavit, quod auxilium Magistratus pro juris sui defensione implorarent: sed quod in iis rebus quæ ad vitæ hujus usum pertinent nihil possent ferre damni, & quod crebro, temere, & cupide nimis litigantes Evangelium multis probris exponerent. Licuit denique, ut *Apostolo*. Nam ex ipsius Domini ore intellexerat, non minus sibi Romæ de Christo testificandum esse, quam testificatus fuerat Hierosolymis. Act. XXI: II. Ei itaque officio ut semet ipsum reservaret, consilio Dei inferviens, omnem sibi honestam rationem tentandam esse existimat, ut crudelibus Judæorum manibus ereptus Romam veniat, & occasionem coram ipso Cæsare dicendi nanciscatur: cætera committens Deo. Nequaquam committendum sibi Festus credidit, ut appellationi isti intercederet, sed paucula pro more cum Concilio collocutus, respondit, *Cæsarem appellasti, ad Cæsarem proficisceris.*

XXX. Interim & ab Agrippa ac Bernice magno cum animorum motu auditur.

XXX. Interim dum expectatur oportunitas Paulum mittendi Romam, usu venit ut *Agrippa Rex & Bernice* Cæsaream appellerent, salutaturi Festum. Erat hic Agrippa abnepos Herodis Magni, sub quo natus est Christus; nepos Aristobuli, a patre necati; filius Herodis Agrippæ de quo Act. XII. a Josepho dictus Agrippa Junior. Magna hic fuit apud Claudium Imperatorem gratia, a quo Herodis Chalcididis Regis, patru sui, regnum accepit: quo deinceps ei ablato, ab eodem Claudio donatus est Tetrarchia Philippi eum Batanæa, Tachonitide & Abilena, quæ prius fuerat Lyfania Luc. III: I. Postmodum Nero ipsi dedit partem Galilææ, cum Tiberiade, Tarichæa & Juliade trans Jordanem, cum pagis XIV. Fuit hic Agrippa Regum Herodiadarum ultimus, qui capta vastataque Hierosolyma Romam concessit: ubi Prætoriiis honoribus auctum scribit *Dio*. Certe cum Berenice sorore habitavit in Palatio. Eadem illa quacum nunc Cæsaream venit: prostituti pudoris fœmina. Quæ primum Herodi Regi Chalcididis, patruo suo, nupta, viduitatem ipso mortuo aliquamdiu coluit, sed parum honestam ac pudicam. Suspecta enim erat nimia ipsius cum Agrippa fratre familiaritas. Quod incestus probrum ut extingueret, Polemoni Ciliciæ Regi

Regi nupsit: rursus tamen, lubrici magis indulgens quam pudori, divortium cum eo fecit, & ad fratrem rediit: aucto hinc nefariæ conversationis rumore. *Joseph. Antiq. Lib. xx. Cap. v. Quam & Juvenalis taxavit Satyra VI.*

Adamas notissimus & Beronices

In digito factus pretiosior; hunc dedit olim

Barbarus incestæ, dedit hunc Agrippa sorori.

Tacitus de eadem Histor. II. Nec minore animo Regina Beronice partes juvabat, florens atate formaque, & seni quoque Vespasiano magnificentia munerum grata. Grator tamen Tito filio: de quo idem Tacitus: Neque abhorrebat a Beronice juvenilis animus. & Suetonius, Titi VIII. propter insignem Regine Beronices amorem, cui & nuptias pollicitus ferebatur. Hic est ille Agrippa, hæc illa Beronice, coram quibus Paulus Christianismi causam tam disertam, tam flexanima oratione exposuit, ut, quamvis Festus, Romanis superstitionibus incantatus, præ nimio ipsum literarum studio insanire diceret, Agrippa tamen temperare sibi non potuerit, quin fateretur, propemodum sibi persuaderi ut Christianus fieret. In qua re iterum insignis est triumphus, tam veritatis Evangelicæ, quam innocentie Pauli. Nam & confessus fere integer, audita hac Pauli apologia, nihil ipsum morte aut vinculis dignum committere judicavit: & Agrippa Festum monuit, dimitti istum hominem potuisse nisi ad Cæsarem appellasset Act. xxv I.

SECTIO XI.

De navigatione Pauli versus Romam.

BREVIARIUM.

- I. *Paulus in itinere Romano singularem Dei favorem expertus est. II. Comitum gratissimum Aristarchum habuit. III. Et centurionem faventem. IV. Cum adversis ventis aliquamdiu luctari. V. Vehementi tandem tempestate fere oppressi fuere. VI. Sed insigni Dei in Paulum favore salvi evaserunt. VII. A Melitensibus comiter excepti. VIII. Novum in Paulo prodigium, quod fabulis occasionem dedit. IX. Publii pater a Paulo curatus, quem Publium primo Melitensis, dein & Atheniensis Ecclesie Episcopum factum esse contendunt. X. Insigne Castoris & Pollucis. XI. Paulus tandem Romam venit.*

Constitutum igitur est a Festo, consciscente Agrippa, ut Paulus in Italiam navigaret: ideoque cum quibusdam aliis vinculis traditus est centurioni alicui, nomine Julio, cohortis Augustæ. Non est mihi animus navigationem Pauli ita exponere, quasi urbium, marium, fretorum, scopulorum, ventorum, aut nauticæ artis peritiam Auditores meos docturus essem. Non est ea res nostri studii. Id nobis præcipue agendum, ut attendamus quam mirabiliter Paulus Dei manu Romanam

Meletem. Leid.

R

mam

I. Paulus in itinere Romano singularem Dei favorem expertus est.